
ORATIO
DE ELIGENDO SUMMO PONTIFICE
POST OBITUM
INNOCENTII XIII
Habita in Basilica Vaticana
CORAM
SACRO COLLEGIO
EMINENTISS., AC REVERENDISS. DD.
S. R. E. CARDINALIUM


A FRANCISCO BLANCHINO VERONENSI
Utr. Signaturæ Referendario, & Prælato Domestico,
Liberianæ Basilicæ Canonico,
Pontificii Sacelli
Subdiacono.

Die XIIJ. Kal. Aprilis MDCCXXIV.



ROMÆ, Ex Typographia Antonii de Rubeis, è Foro
Rotundæ in Via ad Seminarium Romanum.

SUPERIORUM PERMISSU.



Ex Musivo, olim extante in abside Presbyterii Veteris Basilicæ Vaticanæ

SACRI Cœtus Veſtri majeſtas, EMINENTISSIMI PATRES, & argumenti pertractandi ſublimitas deterreret unumquemque à dicendo, meque potiſſimùm; niſi fiduciam ſuadendi ſponderet ſanctitas, & adſpectus loci, ex quo PRINCEPS APOSTOLORUM promiſit (†), *daturum ſe operam, ut frequenter Vos habe-*

(†) 2. Petri cap. 1. verſ. 13. *Juſtum autem arbitror quamdiu ſum in hoc tabernaculo ſuſcitare vos in commonitione, certus, quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundùm quod & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſignificavit mihi. Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis.*

ret post obitum, & ex adyto suæ confessionis, *ex depositione sui tabernaculi sinceram mentem vestram in commonitione excitaret*. (a) Concideret profecto stupidus, & elinguis omnis conatus animi, & orationis; si cum amplitudine muneris disserendi de negotio Ecclesiæ gravissimo tenuitatem conferret suarum meditationum humilis administer ad hæc proponenda delectus. Quis namque non videat, humanam supergredi facultatem ea, quæ cogitari, dicique debent de præparandis mentibus ad excipiendum afflatum Numenque Divini Spiritus in deligendo Petri Successore, Ecclesię Catholicę Sponso, Christi in terris Vicario, & sequestri maximę secundùm Deum potestatis? Designare enim Principem, leges daturum Orienti, atque Occidenti ad civilem administrationem Reipublicę, intra cancellos est divisæ inter Noëmi liberos terrarum hęreditatis. Verùm constituere Du-

(a) S. Hieronym. in Ep. ad Domn., & Rog. *Magnitudo oneris impositi ita cervices premit, ut ante sub fasce ruendum sit, quàm levandum.*

Ducem Christiano populo [b], qui ad Cælitum Patriam conscriptos cives de hujus exilii statione tutos deducat, & Petri clavibus non terras modò, sed Cœlum ipsum aptè reserare possit, & claudere, id demum ita proximè accedit arcanis Dei juribus; ut nomina [c] quoque commisceat, & officia omnium Sospitatoris. Quapropter excusatione Prophetæ [d], dicentis, *nescio loqui*, declinanda mihi foret provincia; si obtutu diutiùs hærerem sola in contemplatione argumenti. Verùm dum oculos circumverto per hæc [e] tropęa Apostolorum, tam sanctis fundata legibus, tam claris ornata exemplis, tum recentibus, tum vetustis, Fidei ac Disciplinę Sacri Senatus Romanę Ecclesię, septimumdecimum constantię seculum feliciter numerantis, ita erigor animo; ut peroratum jam esse judicem in

 ea

(b) *Ecclesiæ meæ Cœlo inserenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurget*. S. Leo Serm.3. de die anniv. suæ assumpt.

(c) S. Aug. quæst. in lib. Judic. lib.7. cap. 18. de Othoniel. *Advertendum est autem quod Salvatorem dicit etiam hominem, per quem Deus salvos faciat*.

(d) Jeremiæ cap.1. vers.6. *Et dixi, A, a, a, Domine Deus: Ecce nescio loqui* &c.

(e) Cajus theologus apud Eusebium Hist. Eccl. lib.2. cap.25. *Ego verò Apostolorum tropæa possum ostendere. Nam sive ad Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropæa eorum, qui Ecclesiam illam fundaveruut*. Vide etiam Card. Baron. ad ann.69. n.XXI.

ea cauſa, quam dicere aggredior: & ſentiam, ita paratum eſſe Vos adhortari, uti expeditum video Vos indicare. Subſellia enim iſta quę impletis, ſupra Martyrum cryptas erecta, perindè me admonent officii per Vos prępstandi; ac oſtendant coronę capitibus veſtris impoſitę res bene pro Republica Chriſtiana geſtas. Ad coronas igitur iſtas, ad has Vaticani Sedes transferam munus mihi demandatum hortandi. Utręque loquuntur expreſſiùs, quidquid pertinet ad dignitatem, quidquid refertur ad ſalutarem, & celerem exitum operis quod inchoatis. Ea ſi feliciter aſſequar, ſi fideliter exprimam, ut conabor; intelliget Eccleſia univerſa, ſanctimoniâ loci, & infularum veſtrarum ſymbolis monita ſuggerentibus, interpretis tantùm vices eſſe ab oratore exigendas; atque ita obtemperatum iri multò pręſtantiùs, & obſequentiùs tum auctoritati Veſtrę, tum moribus, inſtitutiſque majorum, hanc demandantibus adhortationem.

Re-

Rerum feliciter agendarum [f] duo novimus esse adjumenta: quorum unum ab experimenti frequentia, petitur alterum [g] ex methodo disciplinę. Primum illud contemplemur in Sedibus, unde proceditis ad Comitia.

[h] Nullus in Orbe terrarum locus occurrit ejus adjumenti feracior, quod profert experimenti frequentia sacris in Electionibus Sacerdotum, quàm Sedes hęc Vaticana [i]. Hìc enim primum exemplar à Christo Domino constitutum viget in Petro: hìc superstructa primario Ecclesię lapidi series simillima Successorum, series simillima Electionum. Quot imagines Pontificum nostrorum hìc exhibentur (tota autem illis convestitur Basilica vetus, ac recens), tot canones, tot exemplaria Electionum intuentibus proponuntur.

Ne-

(f) *Sic quippe necesse est ut audiamus quæ facta sunt, quatenus cogitemus, etiam quæ sint nobis ex eorum imitatione facienda.* S.Greg. Papa homil.xxi. in Evang.
(g) *Nihil enim prodest agere, nisi agatur ut oportet.* S. Ambros. in Psalm.37. sub init.
(h) *Exempla majorum ponimus, quæ neque obscuritatem adferant ad intelligendum, neque ad tractandum astutias.* S.Ambr. offic. lib.1. cap.25.
(i) *Disce disciplinam in domo disciplinæ.* S.Aug. discipl. Chr. lib.1. cap.1.
(k) Ad Hebr.8. vers.5. *Omnia facito secundùm exemplar, quod tibi ostensum est in monte. Nunc autem melius sortitus est ministerium* &c.
(l) Ad Hebr.5. vers.4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Sic & Christus* &c.

Neque illas tantùm imagines numerari velim, quę ſub tyrannide perſecutorum Martyrii ſanguine ſunt conſperſę. Sunt illę quidem [(k)] *juxta exemplar, quod in monte monſtratum eſt, Sacerdotis Æterni*[(l)], *à Deo vocati tanquam Aaron.* Sed cetere non diſſimiles, licet ſanguine non rubeſcant[(m)]. *Coronantur enim, ut Aaron, in vaſis virtutis* [(n)]: *in fide, & lenitate Moyſi*[(o)]: *in bonitate, & alacritate Phinees*[(p)]: *in precibus, & abſtinentia Samuelis*[(q)]. *In reparando Templo Dei magnificentiam æquant Simonis*[(r)]. *In renovanda ſapientia de corde ſuo doctrinam referunt Jeſu Filii Sirach, & diſciplinam.* Univerſorum lineamenta unico ductu deſcribam[(s)]: *homines magni virtute*, juſtitia,

(m) Eccl. 45. verſ.7. *Excelſum fecit Aaron* &c. *& coronavit eum in vaſis virtutis* &c.
(n) Ibi verſ.4. de Moyſe. *In fide, & lenitate ipſius ſanctum fecit illum* &c.
(o) Ibi de Phinees verſ.28. & 29. *Phinees filius Eleazari* &c. *in bonitate, & alacritate animæ ſuæ placuit Deo.*
(p) Ibi de Samuele cap.46. verſ.15. 18. & 22. *Dilectus à Domino Deo ſuo Samuel* &c. *invocavit Dominum Omnipotentem* &c. *pecunias, & uſque ad calceamenta ab omni carne non accepit.*
(q) Ibi de Simone cap.50. verſ.1. *Simon Oniæ filius Sacerdos Magnus, qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroboravit templum. Templi etiam altitudo ab ipſo fundata eſt, duplex ædificatio, & excelſi parietes templi.*
(r) Ibi de Jeſu Filio Sirach. verſ.29. *Doctrinam ſapientiæ, & diſciplinæ ſcripſit in codice iſto Jeſus filius Sirach Jeroſolymita, qui renovavit ſapientiam de corde ſuo.*
(s) Ibi cap. 44. *Laudemus Viros glorioſos parentes noſtros* &c. *Homines magni virtute, & prudentia ſua præditi nunciantes in prophetis dignitatem prophetarum, & imperantes in præſenti populo, & virtutè prudentiæ populis ſanctiſſima verba.*

tia, fortitudine, charitate: *viri misericordiæ: pacificantes in domibus suis: dignitatem prophetarum nunciantes: & in virtute prudentiæ imperantes populis sanctissima verba.*

Hęc dum considero; jam intelligitis à me numerari non priscos tantùm Clementes, Alexandros, Pios, Urbanos, Innocentios, Paulos, sed & recentes illis cognomines, famâ, gestisque pariter notos, ac memorandos, & plerisque vestrum ætate, necessitudine, aut etiam genere junctos, quorum monumenta complectitur hæc aula Dei. Deesse profecto non possunt experimenta sanctarum electionum ubi tanta exuberat copia Pontificum optimorum.

Dicam fidentiùs. In singulis quibusque generibus variæ affectionis Christianæ Reipublicæ abundare Vos oportet experimentis tutissimis ad providenter aptandum, & exhibendum præsens remedium unanimis, & liberæ Charitatis in Pontificia Electione; cum imagines istæ demon-

monſtrent, (t) neque furentibus ſeculi poteſtatibus per tyrannos, neque inſidiantibus in pace Eccleſiæ domeſticis auctoribus ſeditionum, defuiſſe unquam Collegio Veſtro Viros, qui libertatem ſuffragiorum, & fratrum concordiam feliciter promoverent.

Gratias Deo immortales. Reſpondent infima ſummis, ſive electos reſpicimus, ſive electiones. Romana Eccleſia (u) nova, & vetera Sponſo ſuo ſervat.

Annon hæc documenta concordię virtutum in Eligendo, ſuffragiorum in Electoribus nuperrimè ſpectata ſunt poſtremis in Comitiis, dum renunciaretis Optimum Patrem, bono Reipublicę datum, educatumque inter exempla, & virtutes Avorum, qui Sedem hanc illuſtrarunt, populis charum, Principibus venerabilem: quem tantâ lętitiâ ante triennium excepimus, quanto nunc luctu immaturè prę-

(t) *Sediſſe intrepidum Romæ in Sacerdotali Cathedra eo tempore, cùm Tyrannus infeſtus Sacerdotibus Dei fanda, atq; infanda comminaretur; cùm multo patientiùs, & tolerabiliùs audiret levari adversùs ſe æmulum Principem, quàm conſtitui Romæ æmulum Sacerdotem*. S. Cyprianus Epiſt. ad Antonianum 52. edit. Pamelii.

(u) Cantic. 7. 13.

prȩreptum prosequimur, ac desiderio? Quȩ constantior studiorum unitas? Quis evidentior animorum nexus Senatûs veteris, ac recentis?

Erit attamen in eâdem firmitate concordiæ genus alterum suspiciendum; si ad Comitia illis proximè superiora animum advertamus. Meministis illius admirabilis tridui, quo cum Electi moderatione luctandum toti Collegio fuit, ut per auctoritatem consensûs fratrum, imò per Divinam, & in eis tenacem sui propositi Providentiam virtus illa severior aliquando inflecti, vincique pateretur.

Petamus nunc à Martyre [x] Cypriano canonem, ac normam *Electionis Episcopi, de Dei, & Christi ejus judicio facti*. Hanc ille protulit se percepisse in Cornelio: *qui Episcopatum nec postulavit, nec voluit, sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet*.

(x) S. Cyprianus Epist. ad Antonianum edit. Pamelii 53. „ *Episcopatum ipsum nec* „ *postulavit, nec voluit* &c. *& quales solent esse qui ad hunc locum divinitùs eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & per humilitatem ingenitæ sibi, & custoditæ verecundiæ, non ut quidam vim fecit, ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet* &c. *Factus est autem de Dei, & Christi ejus judicio*.

Si nomina reticuiſſem; diceremus ne de ſolo Cornelio loquutum Cyprianum; an etiam prænunciaſſe [y] Innocentium ejus nominis tertium; indicaſſe Gregorium nonum; &, ut ceteros pretermittam, premonſtraſſe illum, cui paulo ante aſſediſtis, Clementem? Par enim laus fraterne concordie in deferentibus fuit, par gloria verecundie in detrectantibus validè [z], & obſequentèr ſubeuntibus hoc faſtigium.

Jure igitur optimo ſervent hec tropea Apoſtolorum in abſide veteris Presbyterii [a] Innocentium; in frontis antique culmine Gregorium; in hypogeo hujus ſacelli Clementem, eorumque Comitia: illos, ut exempla Pontificum: hec, ut exem-

(y) De Innocentio III. Vide Acta ejus electionis Annal. Eccl. ad ann. 1198. num 5. Raynald. de Gregorio IX. vide Annal. Eccl. ad ann. 1227. num. 15. & 17. Idem dici poteſt de Alex. IV. (vide ann. 1254.): & de ſuperioribus, nempè S. Gregorio Magno, S. Paſchali I., &c. & ſubſequentibus, ſcilicet S. Cœleſtino V. &c.

(z) S. Greg. de cura Paſtorali part. 1. cap. 6. *Et ſunt nonnulli, qui ex ſola humilitate refugiunt, ne eis, quibus impares ſe exiſtimant, præferantur. Quorum profecto humilitas, ſi ceteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante oculos Dei vera eſt, cum ad reſpuendum hoc, quod utiliter ſubire præcipitur, pertinax non eſt. Neque enim verè humilis eſt, qui ſuperni nutus arbitrium, ut debeat præeſſe intelligit, & tamen præeſſe contemnit.*

(a) Ejus Muſivi partem inciſam hìc habes in fronte Orationis. Viſebatur autem antequam dirueretur vetus Baſilica ſub Sixto V. in abſide Presbyterii Vaticani, cujus iconem præſervavit in cryptis cura ejuſdem Pontificis, & typis edidit eruditus Præſul Jo. Ciampinus lib. de Sacris Ædif. à Magno Conſtantino conſtructis fol. 42.

exemplaria electionum. Pari quoque jure mihi licebit inferre priori hac in parte suasionis, frequentiam experimenti hisce à Sedibus Vaticanis, his ab imaginibus memorati, monita Vobis, & adjumenta pręclara ad optimam electionem conferre.

Sin autem à sedibus, quas tenetis, convertor ad coronas, quas geritis (indicia scilicet, ac pręmia illustrium gestorum pro Ecclesia Dei); istę commemorant, non modò exempla designationum pręteritarum, sed etiam methodum futurarum, Deo dante, servandam.

Cum venerabilem Coronam Vestram suspicio, ex omni natione, quę sub Cælo est, hujus in Ecclesiæ, ceterarum Matris, ac Magistrę, sinu collectam; non tantùm Senatum Regum videre videor, ac Sacerdotum; sed Apostolicum planè cœtum intueor, in navicula Piscatoris admotum ad Orbis universi gubernacula de Petri nutu moderanda, & ad obeundos omnium nationum fines verę religio-

nis auſpicio, eoſque ditandos cæleſtibus diſciplinis. Ita enim procuratis nationes ſingulas, cultas, ac barbaras, earumque commodis proſpicitis providenter, ſive ſedeatis ad clavum navigii, ſive circumeatis provincias; ut totius Eccleſię corporis nulla Vos lateat neceſſitas, nulla non avertatur calamitas, aut reparetur. In veſtra igitur cura, in alacritate ſtudiorum, & conſtantia Romana hęc Sedes repetit cum Apoſtolo [(b)]: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Neque jam de ſolo Sotere, ejuſque deceſſoribus prędicare poteſt Dionyſius ille Corinthius, quod de ſucceſſoribus ætatis noſtræ, ac proximè ſuperiorum [(c)], Gregoriis ſcilicet, Urbanis, & Innocentiis, propagandæ Fidei cauſa locupletantibus Orbem terrarum, Oriens, & Occidens experiuntur [(d)]: *In utriuſque*

vitæ

(b) 2. Ad Corinth. cap. xI. verſ. 29.
(c) Gregorius XIII. fundator complurium Collegiorum in Urbe, & extra Urbem pro ſingulis ferme nationibus. Urbanus VIII. fundator Collegii Urbani de Propaganda Fide, cujus inſignis locupletator fuit Innoc. XII. & plurimi S.R.E. Cardd.
(d) Epiſt. Dionyſii Corinth. Epiſcopi ad Eccleſiam Romanam ſub Sotere Papa, quæ legitur apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib.4. cap.23. *Hæc vobis conſuetudo eſt jam inde ab ipſo religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, & Eccleſiis quamplurimis, quæ in ſingulis urbibus conſtitutæ ſunt, neceſſaria vitæ*

ſub-

vitæ ſubſidiis liberaliter erogandis univerſis fratribus opem fertis: & in beneficentiæ veſtræ experimento longè latèque exhibendo *Romanorum conſuetudinem à Patribus traditam ſedulò obſervatis*. Neque id per miniſtros præſtare ſatis videtur pietati veſtræ. Satius ducitis ad majora diſcrimina ipſi accurrere: deſcendere ad tractanda vulnera decumbentium, eaque fovenda oleo, & religanda vittis, ac ſyrmate ſacerdotii; aut certè ad expendendas virtutes illorum, qui præſentibus malis propulſandis omnium habeantur aptiſſimi. Quare compluribus veſtrûm (niſi ab univerſis longè abeſſet jactantia) reddenda forent merito Chriſtianę pacis, ac miniſterii, ſollicitudinis, & patrocinii antiqua illa nomina, quæ veteres Germanici, Britannici, Sarmatici, Parthici, Adjabenici, cædibus, & ſanguine conquirebant.

Hæc

ſubſidia tranſmittatis. Et hac ratione tum egentium inopiam ſublevatis, tum fratribus, qui in metallis opus faciunt, neceſſaria ſuppeditatis: per hæc quæ ab initio tranſmittere conſueviſtis munera, morem inſtitutumque Romanorum à majoribus veſtris acceptum Romani retinentes. Atque hunc morem Beatus Epiſcopus veſter Soter non ſervavit ſolùm, ſed etiam adauxit &c. ex verſ. Valeſii. *Romanorum conſuetudinem à Patribus traditam ſedulo obſervatis* &c. ex verſ. quam ſequitur Abb. Somier in hiſt. dogm. S. Sedis.

Hæc omnia juvat recolere ad hanc aram, magni Chryſoſtomi cinerum hoſpitam, unde (e) infulatus ad Indos proceſſit nobis inſpectantibus Collega veſter jam tum deſignatus, mox etiam renunciatus: quem procurandæ religionis cauſâ Aſiatico primùm itinere detentum, deindè in exilio fortiter occumbentem nuper recepimus Urbi noſtrę, ut olim Chryſoſtomus ſuę, triumphali funere reſtitutum.

Quorſum hęc, dicitis? Satis nempe iſta declarant, quę ſit Collegii veſtri, planè Apoſtolici, potior cura in exercendâ tutelâ orbis terrarum, huic Romanę Sedi concreditâ, & diligenter perpendendis (f) virtutibus veſtrorum Fratrum, qui ad hanc de throno Petri ſolertiùs exhibendam unicè facti videantur.

Hęc indagatio virtutum in Senatoribus,

(e) Præſul Carolus Thomas Maillard de Tournon ibi conſecratus Patriarcha Antiochenus à ſa. mem. Pontifice Clemente XI. die 21. Decembris 1701. & cum poteſtate Legati de Latere ad Sinarum Regnum, & finitima tranſmiſſus, deinde Cardinalis creatus die 17. Maii 1706.

(f) S. Greg. curæ Paſt. p. 2. cap. 3. *Hinc divina lege Sacerdos in Sacrificium, & dextrum* (armum) *accipit, & ſeparatum, ut non ſolùm ſit ejus operatio utilis, ſed etiam ſingularis: nec inter malos tantummodo, quæ recta ſunt faciat, ſed benè quoque operantes ſubditos ſicut honore ordinis tranſcendit, ita etiam morum virtute tranſcendat.*

bus, ubi eam præcesserit notitia vulnerum in Republica, constituit methodum electionis. Et cum sint vulnera omnium gravissima illa, quę maximum Reipublicę, ac singulorum bonum vitiant aut tollunt, nempe Dei cultum; ad hunc reparandum adlegitur Pontifex, uti maximus dignitate, ita etiam optimus ministerio futurus; si divini cultûs idem & callentissimus, & observantissimus habeatur. (g) Inscriptio coronæ Maximi Sacerdotis dedicatio est rerum universitatis in capite Aaron, sed longè præstantior in Christi Pontificatu. Erit igitur ex methodo quam prosequimur illis utique deferenda, qui Deo judice cordibus indicante implere faciliùs possint Ecclesiæ vota dedicandi Orbis terrarum ad cultum Domini. (h) Fide purâ, & charitate non fictâ id necessariò per-

(g) S. Hieronymus in Ep. ad Fabiolam de veste Sacerdotali. *Super omnia cidaris, & vitta hyacinthina Cælum monstrat: & auri lamina, quæ in fronte Pontificis est, inscriptumque nomen Dei, universa, quæ subter sunt, Dei arbitrio gubernari.* Et paulo infra. *Vetus lex novæ congruit: id ipsum Moyses, quod Apostolus. Ille Sacerdotis scientiam ornat in vestibus: iste Timotheum, & Titum instruit disciplinis* &c. *Lamina aurea rutilat in fronte: nihil enim nobis prodest omnium rerum eruditio, nisi Dei scientia coronemur* &c. *Et super creatura Creator insistens regat ipse quæ condidit. Quod olim in lamina monstrabatur, nunc in signo ostenditur Crucis. Auro legis sanguis Evangelii pretiosior est.*

(h) Matth. 16. & Jo: 21. in quæ loca videndi Patres, & præsertim S. Augustinus Serm. 253. aliàs de temp. 149.

perfici, ratum eſt. His enim gradibus, & cautione Fidei, & Charitatis eximiæ ad hunc thronum Petrus evectus, eoſdem indicat, ac præſcribit poſt ſe aſcenſuris.

Verùm quia ſpectandorum cordium facultas, ubi charitas Dei diffuſa reſidet, ac deprehenditur, Divino reſervatur obtutui; pars illa methodi, quæ totam rem perficit, quærenda eſt unicè in humili, ac fervida prece invocantium afflatum, & opem Divini Spiritus. (i) *Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris.* Statuatur *Juſtus*, & eligatur oſtenſus. Mater Eccleſia (k) producat liberos, proponat Apoſtolos: is tamen aſſumatur ad Chriſti vices, cui revelaverit Pater luminum eſſe gerendas.

Aſcendite igitur, Principes Sanctuarii, non Moyſe, ſed Chriſto Duce, aſcendite ad montem Dei. Ad interiora caliginis noſter Legislator Vos advocat: & Cœtui Veſtro indulgenter concedit in no-

(i) Actor. 1. verſ. 24. (k) Matth. 20.


novo fœdere, quod in vetuſto pollicebatur unicè Aaronis fratri: (l) *Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.*


Nos humilis Chriſti plebs Domino provolvemur. Tenebimus aram Apoſtoli, tenebimus Confeſſionem: & cum illo nobiſcum orante poſt obitum, & Vos commonente, inde tendemus ſupplices ad Deum manus, rata ut habere velit ea quæ decernitis. Recolite majorum exempla. Methodum proponite Scripturarum. Conferte conſilia curandorum Reipublicæ Chriſtianæ vulnerum, & ſalutis celeriter afferendæ. Quiſquis virtutibus Petro ſimilior, quiſquis aptior præſentibus curis, prudentia, gravitate, conſilio, laude regiminis, ac vitæ innocentia, conſtantia, vigilantia, ſtudio laboris, ac diſciplinę, eminet judicio Collegii, fruſtra contendat latere ſuo. Plurium inter merita felix Eccleſię hęſitatio futura eſt:

C quam

(l) Exodi cap. 19. verſ. 9.

quam dirimet Spiritus Consilii ritè invocatus. *Ostendet ille quem elegerit unum*; cum plurimos à se jam positos inter Vos noscat, perinde emeritos qui ostendantur, perinde emeritos qui eligantur.




Paraui lucernam
Christo meo